VII. *De eodem Phænomeno* Genevæ *viſo, Epiſtola Viri Clariſſimi Domini* Johannis Ludovici Calandrini, *Math. Prof. Ordinar.* Genevæ, *ad* Jac. Jurin, *R. S. Secr.*

Dabam Genevæ *Kal.* Nov. 1726.

DIE Saturni $\frac{19}{8}$ Menſis Octobris, horâ ſextâ & dimidiâ veſpertinâ, Aurora Borealis fulgere cœpit, Phænomenon vobis quidem ſatis familiare, nobis verò ex ſeniorum ſententiâ plane novum, ſed tam illuſtre, & circumſtantiis à vulgaribus in Tranſactionibus ſæpe deſcriptis tam diverſum, ut de eo audiiſſe fortaſſe non pigebit.

Primò quidem, quâ horâ dixi, Arcus lucidus viſus eſt, cujus medium ſtabat in Horizontis Septentrione, extremitates ad Arcturum in Occaſu, & ad Pleiades in Ortu, 40° altus; lucidus ſatis, ut Solem è Septentrione jamjam ortum ire diceres; ſed hic nihil eſt novi.

Poſt horam ſeptimam, quaſi violenti incendii flammæ, vel continua fulgura totum albicantis arcus locum occupaverunt. Serpebant ex Horizonte ad cœli fornicem haud abſimiles veri furni flammis, extremitates arcûs rubicundo atrove fulgore vulgum terrebant, ipſæ flammæ in atrum fumum deſinere videbantur, ita ut diem Domini inſtare mulierculæ non dubitarent. Cœleſte hoc incendium pluſquam horam duravit; Scenâque mutatâ, ex Horizonte exilire columnas, quæ ad Zenith pertingerent, viſum eſt: Ex eâdem ſupradictâ baſi, coronâ in extremitate Phænomeni tum occidente & cornu Tauri inferiore ab alterâ parte ſurgente, columnæ plus minuſve latæ, 60 aut 70° altæ, tria vel qua-

quatuor minuta durantes, paulatim evaneſcentes, vel prius in igneum colorem verſæ ; poſt aliquod tempus ceſſarunt columnæ : tum Aurora Borealis ut primum fulſit, cui ante decimam ſucceſſerunt flammæ vehementiores quam prius, quibus ceſſantibus columnæ circa undecimam viſæ ſunt, magis diutinæ, & 120? plerumque altæ : Rurſus Aurora, mox flammæ, poſtea columnæ, atque ita ad tertiam uſque, quâ videbantur adhuc Phænomeni relliquiæ.

Ultra luculam, quæ ſemper Septentrionalem, quam dixi, cœli partem illuſtrabat, majoris Urſæ ſtellæ parum fulgebant. E Veſontio, quod 90 milliaribus hinc diſtat, eodem modo viſum ſuiſſe Phænomenon accepimus.

Arſit interea unum ex illis Meteoris, ſtellæ cadentes dictum, quod ultra Phænomenon arſiſſe viſum eſt.

Ex reflexione Solaris luminis à partibus Atmoſphæræ Borealibus congelatis Auroras Boreales formari dictum eſt : Sed flammas adeò notabiles quo pacto explicentur non video. Si ab exhalationum incendiis ortum hoc Phænomenon cenſeatur ; Aurora Borealis Phænomeni comes, columnæ, duratio Phænomeni, & ipſius in eodem loco ſtatio, negotium faceſſent.

Joh. Lud. Calandrini.